

episcopo resignavimus, remittentes vos ad ipsum, ut eam ab ipso suisque successoribus recipiatis in feodo, quemadmodum a nobis hactenus habuistis. Testes huius illustris princeps dominus Syfridus comes de Annehalt, Albertus filius suus, frater Theodericus de Bren, ordinis templariorum, dominus Hermannus de Clekuwiz, dominus Ekehardus de Milbuz, dominus Martinus de Stuchowe et quamplures alii fide digni. Actum et datum Dreseden, anno domini M^o. CC^o. LXX^o. VIII^o VII^o. Kalendas Aprilis.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen; an einem von der Urkunde selbst abgetrennten Pergamentstreifen hängen einige Reste des Siegels.

Kreysig Beiträge I. S. 233.

No. 246. 1278. 27. Juli.

Markgraf Heinrich beurkundet, dass der Streit zwischen dem Domcapitel und den Brüdern von Pynewitz u. A. wegen des Dorfes Litschenitz durch unbedingte Verzichtleistung der Letztern beigelegt sei.

In nomine domini amen. Heinricus dei gratia Misnensis ac Orientalis marchio universis Christi fidelibus hanc litteram inspecturis in perpetuum. Ea quae fiunt ab hominibus iuste et rationabiliter, ne in oblivionem deveniant, aeternari solent patrocinio litterarum. Notum igitur esse volumus omnibus tam praesentis quam futuri aevi fidelibus, quod cum inter Bernhardum praepositum, Sifridum decanum totumque capitulum Misnensis ecclesiae ex una, et Hermannum et Albertum fratres, milites dictos de Pinwitz^{1a)} nec non Tammonem de Doblin, consanguineum praedictorum ex parte altera, causa super villa quae Litschenitz^{b)} dicitur fuisset diutius agitata, coram nobis praeposito, decano et capitulo praedictis pro se et ecclesia Misnensi asserentibus, dictam villam ad ecclesiam Misnensem cum omnibus iuribus et pertinentiis suis proprietatis titulo pertinere, utpote in cuius villae possessione fuerant per quinquaginta annos et amplius pacifica et quieta, praedictis vero Hermanno et Alberto fratribus et Tammo contrarium dicentibus, dictam villam ad se potius pertinere tamquam ex successione suorum progenitorum ad se devolutam. Post multos et varios tractatus hinc inde multociens habitos coram nobis eadem partes Dresden in placito provinciali in nostra praesentia constitutae, saepedicti Hermannus et Albertus fratres et Tammo plus iustitiam et aequitatem intueri cupientes quam bona transitoria iniuriose possidere, nobis adhuc sedentibus pro tribunali multis nobilibus et aliis praesentibus fide dignis publice recognoverunt, se nihil iuris in bonis habere penitus antedictis, prout super hoc instructi essent tam ab amicis eorum senioribus quam ab aliis incolis terrae nostrae, quibus plene constare potuit idem factum, quod Tammo pater eorum et Hermannus frater eiusdem pater nunc Tammonis, bonae memoriae praedictam villam transtulerunt in ecclesiam Misnensem iusto contractu emptionis et venditionis interveniente, proprietatis titulo perpetuo possidendam longe retroactis temporibus, etiam antequam praedicti Hermannus et Albertus et Tammo, qui nunc sunt superstites, nascerentur, omni solempnitate iuris et facti accedente, quae in huiusmodi alienationibus consuevit apponi. Renuntiantes nihilominus in eodem nostro placito provinciali omni iuri, si quod eis competeret in dicta villa vel posset competere in futuro. Et ne alicui super dicta renuntiatione et processu superius habito dubietas

a) Pinnewitz, Par. Ziegenhain. b) Lütznitz, Par. Zschochau.

1) Pynewitz B.